



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera**

In Tres Tomos Distributa. Ex quamp plurimis MSS. Codicibus emendata ;  
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

**Gregor <I., Papst>**

**Lutetia Parisiorum, 1675**

Homilia XL. Habita ad populum in basilica sancti Laurentij martyris,  
Dominica secunda post Pentecosten.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)

*dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum celo- rum* Recta ergo opera rectæ fidei jungenda sunt. Mala quæ fecimus, per quotidiana lamenta diluamus, transactas nostras nequitas surgentia ab amore Dei & proximi recta opera superent, nulla quæ possumus fratribus impendere bona recusemus. Neque enim aliter Redemptoris nostri membra efficitur, nisi inhærendo Deo, & compatiendo proximo.

Sed quia ad amorem Dei & proximi plerumque corda audientium plus exempla quàm verba excitant, charitati vestræ indicare studeo, quòd is qui præsto est filius meus Epiphanius diaconus, Isauria provincia exortus, in vicina factum terra Lycaoniæ solet narrare miraculum. Ait enim, quòd in ea quidam Martyrius nomine, vitæ valde venerabilis monachus fuit, qui ex suo monasterio visitationis gratia ad aliud monasterium tendebat, cui spiritualis pater præerat. Pergens itaque, leprosum quemdam, quem densis vulneribus elephantinus morbus per membra scædaverat, in venit in via, volentem ad suum hospitium redire, sed præ lassitudine non valentem. In ipso vero itinere se habere perhibebat hospitium, quo idem Martyrius monachus ire festinabat. Vir autem Dei ejusdem leprosi lassitudini misertus, pallium quo vestiebatur, in terram protinus projecit & expandit, ac desuper leprosum posuit, eumque suo pallio undique constructum super humerum levavit, secumque revertens detulit. Cumque jam monasterij foribus propiaret, spiritualis pater ejusdem monasterij magnis vocibus clamare cepit: Currite, januas monasterij citius aperite, quia frater Martyrius venit Dominum portans. Statim verò ut Martyrius ad monasterij aditum pervenit, is qui leprosus esse putabatur, de collo ejus exiliens, & in ea specie apparens, qua recognosci ab hominibus solet redemptor humani generis, Deus & homo Christus Jesus, ad cælum Martyrio aspiciente rediit, eique ascendens dixit: Martyri, tu me non erubisti super terram, ego te non erubescam super cælos. Qui sanctus vir mox ut est monasterium ingressus, ei pater monasterij dixit: Frater Martyri, ubi est quem portabas? Cui ille respondit, dicens: Ego si scivissem quis esset, pedes illius tenuissem. Tunc idem Martyrius narrabat, quia cum eum portasset, pondus ejus minimè sensisset. Nec mirum, quomodo enim pondus sentire poterat, qui portantem portabat? Quia in re pensandum est nobis, quantum fraterna compassio valeat, quantum nos omnipotenti Deo misericordie viscera conjungant. Inde enim ei, qui est super omnia, propinquamus, unde nos per compassionem proximi, etiam sub nosmetipsos deponimus. In rebus corporalibus nemo alta tangit, nisi qui tenditur: in rebus verò spiritualibus certum est, quia quanto plus per compassionem attrahimur, tantò altis verius appropinquamus. Ecce autem Redemptori generis humani ad ædificationem nostram minimè sufficit quod in extremo judicio didicimus se esse perhibuit: *Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis*: nisi & ante judicium hoc in se ostenderet quod dixisset: ut videlicet demonstraret, quia quisquis nunc bona opera indigentibus exhibet, ei hæc specialiter impendit, cujus hæc amore exhibuerit. Et tantò plus quisque majorem mercedem recipit, quanto nec eum despicit, qui amplius despiciendus videtur. Quid enim in humana carne sublimius carne Christi, quæ est super Angelos exaltata? Et quid in humana carne abjectius carne leprosi, quæ tumescens vulneribus scinditur, & exhalantibus fœtoribus impletur? Sed ecce in specie leprosi apparuit: & is qui est reverendus super omnia, videri despectus infra omnia dedignatus non est. Cur hoc, nisi ut sensu nos tardiores admoneret, quatenus quisquis ei qui in cælo est, festinat assistere, humiliari in terra & compati etiam abjectis & despiciabilibus fratribus

*Mat. 25. d*

*Hier. 10. d*

A non recuset? Loqui charitati vestræ sub brevitate decreveram: sed quia non est in homine via ejus, decurrens sermo retineri non potest, quem disponit ipse de quo loquimur: qui vivit & regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Lectio sancti Evangelij secundum  
Lucam.

**I**N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicis nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, & ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, que cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat. Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus. Factum est autem ut moreretur mendicis, & portaretur ab Angelis in sinum Abraha. Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno. Elevans autem oculos suos cum eset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est: ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. Et ait: Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysen & Prophetas; audiant illos. At ille dixit: Non pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

*cap. 16.*

**C**

**D**

**E**

Decorative flourish

HOMILIA XL.

Habita ad populum in basilica sancti Laurentij martyris, Dominica secunda post Pentecosten.

IN verbis sacri eloquij, fratres charissimi, prius servanda est veritas historiae, & postmodum requirenda spiritalis intelligentia allegoriae. Tunc namque allegoriae fructus suaviter carpitur, cum prius per historiam in veritatis radice solidatur. Sed quia nonnunquam allegoria fidem aedificat, & historia moralitatem: nos qui auctore Deo jam fidelibus loquimur, non abs re credimus, si ipsum loquendi ordinem postponamus: quatenus qui fidem jam rectam tenetis, prius de allegoria aliquid breviter audire debeatis: & quod vobis de moralitate historiae valde est necessarium, hoc in expositionis nostrae ordine servetur extremum: quia ea plerumque solent melius recoli, quae contingit postmodum audiri. Sensus ergo allegoricus sub brevitate transcurramus, ut ad moralitatis latitudinem citius venire valeamus. [ *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide.* ] Quem, fratres charissimi, quem dives iste qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide, nisi Judaicum populum significat: qui cultum vitae exterioris habuit, qui acceptae legis deliciis ad nitorem usus est, non ad utilitatem? Quem verò Lazarus ulceribus plenus, nisi Gentilem populum figuratim exprimit? Qui dum conversus ad Deum, peccata sua confiteri non erubuit, huic vulnus in cute fuit. In cutis quippe vulnere virus à visceribus trahitur, & foras erumpit. Quid est ergo peccatorum confessio, nisi quaedam vulnere ruptio? Quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestiferè latebat in mente. Vulnere etenim cutis in superficiem trahunt humorem putredinis. Et confitendo peccata quid aliud agimus, nisi malum quod in nobis latebat, aperimus? Sed Lazarus vulneratus cupiebat saturari de micis, quae cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat: quia Gentilium quemque ad cognitionem legis admittere superbus ille populus despiciebat. Qui dum doctrinam legis non ad charitatem habuit, sed ad elationem, quasi de acceptis opibus tumuit. Et quia ei verba desuabebant de scientia, quasi micae cadebant de mensa. At contra jacentis pauperis vulnera lingeabant canes. Nonnunquam solent in sacro eloquio per canes praedicatorum intelligi. Canum etenim lingua vulnus dum lingit, curat: quia & doctores sancti dum in confessione peccati nostri nos instruunt, quasi vulnus mentis per linguam tangunt: & quia nos loquendo à peccatis eripiunt, quasi tangendo vulnera ad salutem reducunt. Quia enim canum nomine, praedicatorum lingua signatur, Domino per Psalmistam dicitur: *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* Ex Judaeis quippe infidelibus sancti praedicatorum electi sunt, qui in assertionem veritatis contra fures latronesque venientes, magnos pro Domino, ut ita dicam, latratus dederunt. Quo contra de quorundam reprobatione dicitur: *Canes muti, non valentes latrare.* Quia ergo praedicatorum sancti peccata damnant, confessionem verò peccatorum approbant, dicentes: *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini.* Ulcera Lazari canes lingunt. Sancti etenim doctores dum Gentilium confessiones accipiunt, mentium vulnera saluti restitunt. Unde & Lazarus bene interpretatur adjutus: quia ipsi hunc ad ereptionem juvat, quia ejus vulnera per linguam correptionem

curant. Potest etiam per linctionem canum, lata adulantium lingua signari. Adulantibus etenim, vulnere nostra lingere est: quod plerumque solent etiam ipsa mala quae nos in nobis reprehendimus, improbo favore laudare. Contigit verò, ut uterque moreretur. Dives qui induebatur purpura & bysso, sepultus est in inferno: in sinum verò Abrahae Lazarus ab Angelis ductus est. Quid Abrahae sinus, nisi secretam requiem significat partum? De qua Veritas dicit: *Multi, inquit, venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno caelorum: filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Qui enim purpura & bysso indutus dicitur, rectè regni filius vocatur. Qui de longinquo ad videndum Lazarum oculos levat: quia dum per damnationis suae supplicia infideles in imo sunt, fideles quosque ante diem extremi iudicij super se in requie attendunt, quorum post gaudia contemplari nullatenus possunt. Longè verò est quod conspiciunt; quia illuc per meritum non attingunt. In lingua autem amplius ardeat ostenditur, cum dicit: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Infidelis populus verba legis in ore tenuit, quae opere servare contempsit. Ibi ergo amplius ardebit, ubi se ostendit scire quod facere noluit. Quapropter bene de doctis & negligentibus per Salomonem dicitur: *Omnis labor hominis in ore ejus, sed anima illius non implebitur:* quia quisquis hoc solummodo laborat, ut sciat quid loqui debeat, ab ipsa refectione suae scientiae mente vacua jejunit. Ab extremo digiti, se tangi desiderat: quia aeternis suppliciis datus operat operatione iustorum, vel ultima participari. Cui responderetur, quod in hac vita bona receperit: quia omne suum gaudium felicitatem transitoriam putavit. Habere hinc etenim possunt & iusti bona, nec tamen hinc in recompensatione recipere: quia dum meliora, id est, aeterna appetunt, eorum iudicio quaelibet bona adfuerint, cum sanctis desideris aestuant, bona minimè videntur. Unde David Propheta, qui regni divitiis, multisque obsequiis fulciebatur, quamvis & haec ad necessitatem bona esse conspiceret, uni tamen singulariter bono in hianter aestuabat, dicens: *Mihi autem adhaerere Deo bonum est.* Inter haec verò notandum est, quod ei dicitur: *Memento fili.* Ecce enim Abraham filium vocat, quem tamen à tormento non liberat: quoniam huius infidelis populi praecedentes patres fideles, quia multos à sua fide deviasse considerant, eos nulla compassione à tormentis eripiunt, quos tamen per carnem filios recognoscunt. In tormentis autem dives positus, quinque fratres habere se perhibet: quia superbus idem Judaicus populus, qui ex magna jam parte damnatus est, sequaces suos quos super terram reliquit, quinque libris Moysi carnaliter intellectis, vel quinque sensibus corporis deditos novit. Quinario ergo numero, fratres, quos reliquerat, exprimit: quia quos ad spiritalem intelligentiam non assurgere in inferno positus gemit, petit ut ad eos Lazarus mittatur. Cui quia Moysen & Prophetas habeant, dicitur. Sed ait: *Quia non credent, nisi quis ex mortuis resurrexerit.* Cui protinus responderetur: *Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent ei.* Certè de Moysè Veritas dicit: *Si crederetis Moysi, crederetis utique & mihi. De me enim ille scripsit.* Impletur ergo quod per Abraham responsum dicitur. Ex mortuis enim Dominus resurrexit, sed Judaicus ille populus, quia Moysi credere noluit: ei etiam, qui resurrexit ex mortuis, credere contempsit. Cumque Moysi verba spiritaliter intelligere contempsit, ad eum de quo Moyses locutus fuerat, non pervenit. Haec nos, fratres charissimi, pro indicandis allegoriae myste-

\*al. firmam

Lib. 20. Moral. c. 7.

Psalm. 67. a

Isai. 56. d

Iacob. 5. d

Mat. 8. b

Eccl. 6. b

Isai. 72. b

Ioan. 10. c

\*al. in d. gaudis



riis succinctæ transcurrissè sufficiat: nunc ad intuen-  
dam latius rei gesta moralitatem animus recurat:  
*Homo quidam erat dives, & induebatur purpura &  
byssò, & epulabatur quotidie splendide. Et erat qui-  
dam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ante  
januam divitis, ulceribus plenus.* Nonnulli putant  
præcepta veteris testamenti districtiora esse, quam  
novi: sed hi nimirum improvida consideratione  
falluntur. In illo enim non tenacia, sed rapina mul-  
tatur. Ibi res injustè sublata, restitutione quadru-  
pli punitur. Hic autem dives iste non abstulissè aliena  
reprehenditur, sed propria non dedissè. Nec dici-  
tur, quia vi quempiam oppressit, sed in acceptis  
rebus se extulit. Hinc ergo summopere colligendum  
est, qua pœna multandus sit qui aliena diripit, si  
inferni damnatione percutitur qui propria non largi-  
tur. Nemo ergo securum se æstimet, dicens: Ecce  
aliena non rapio, sed concessis licitè rebus fruor:  
quia dives iste non idcirco punitus est, quoniam  
aliena abstulit: sed quia acceptis rebus semetipsum  
malè dereliquit. Hoc quoque fuit quod hunc in in-  
ferno tradidit: quia in sua felicitate timidus non  
fuit, quia accepta dona ad usum arrogantis inflexit,  
quia viscera pietatis ignoravit, quia peccata  
sua redimere etiam cum sibi abundaret pretium, no-  
luit. Et sunt nonnulli qui cultum subtilium pretio-  
sarumque vestium non putant esse peccatum. Quòd  
si videlicet culpa non esset nequaquam sermo Dei  
tam vigilanter exprimeret, quòd dives qui torque-  
batur apud inferos, byssò & purpura indutus fuisset.  
Nemo quippe vestimenta pretiosa, nisi ad inane  
gloriam quærit, videlicet, ut honorabilior ceteris  
esse videatur. Nam quia pro sola inani gloria,  
vestimentum pretiosum quæritur, res ipsa testatur,  
quòd nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, ubi ab  
aliis non possit videri. Quam culpam possumus meliùs  
etiam ex diverso colligere: quia si abjectio vilis  
indumenti virtus non esset, Evangelista vigilanter  
de Joanne non diceret: *Erat indutus pilis camelorum.*  
Sed notandum nobis est magnopere, in ore  
Veritatis de superbo divite & humili paupere quantum  
sit ordo narrationis. Ecce enim dicitur: [*Homo  
quidam erat dives;*] & protinus subinfertur: [*Et  
erat quidam mendicus nomine Lazarus.*] Certè in  
populo plus solent nomina divitum, quam pauperum  
sciri. Quid est ergo quòd Dominus de paupere  
& divite verbum faciens, nomen pauperis dicit, &  
nomen divitis non dicit, nisi quòd Deus humiles  
novit atque approbat, & superbos ignorat? Unde  
& quibusdam de miraculorum virtute superbientibus  
in fine dicitur est: *Nescio vos unde sitis: discedite  
à me omnes operarii iniquitatis.* At contrà  
Moyse dicitur: *Novi te ex nomine.* Ait ergo de divite:  
*Homo quidam,* ait de paupere: *Egenus nomine  
Lazarus.* Ac si apertè dicat: Pauperem humilem  
scio, superbum divitem nescio. Illum cognitum per  
approbationem habeo, hunc per judicium reprobationis  
ignoro. Pensandum nobis est etiam, conditor  
noster quanta omnia consideratione dispensat.  
Una etenim res non pro agitur. Nam ecce plenus  
ulceribus mendicus Lazarus ante januam divitis  
jacet. Qua de re una Dominus duo judicia explevit.  
Habuisse enim fortasse aliquam excusationem dives,  
si Lazarus pauper & ulcerosus ante ejus januam  
non jacuisset, si remotus fuisset, si ejus inopia non  
esset oculis importuna. Rursum si longè esset dives  
ab oculis ulcerosi pauperis, minorem tolerasset in  
animo tentationem pauper. Sed dum egenum & ul-  
ceratum ante januam divitis & deliciis affluentis  
posuit, in una eademque re & ex visione pauperis  
non miserenti diviti cumulum damnationis intulit,  
& rursum ex visione divitis tentatum quotidie pauperem  
probavit. Quantas namque hunc egenum  
& vulneribus obsessum tentationes creditis in sua  
cogitatione tolerasse, cum ipse egeret pane, & non

haberet etiam sanitatem, atque ante se divitem cer-  
neret salutem & delicias habere cum voluptate: se  
dolore & frigore affici, illum gaudere conspiceret,  
byssò & purpura vestiri: se deprimi vulneribus, il-  
lum\* affluere acceptis rebus: se egere, illum nolle  
largiri? Quantus putamus, fratres mei, tunc in  
corde pauperis tumultus tentationis fuit, cui certè  
ad pœnam sufficeret paupertas, etiam si sanus fuisset:  
& rursum suffecisset ægritudo, etiam si subsidium  
adesset? Sed ut probaretur amplius pauper, simul  
hunc & paupertas & ægritudo tabefecit. Atque in-  
super videbat procedentem divitem obsequentibus  
cuneis circumfulciri, & se in infirmitate & inopia  
à nullo visitari. Nam quia nemo ei ad visitandum  
aderat, testantur canes, qui licenter ejus vulnera  
ejus lingeant. Ex una ergo te omnipotens Deus  
duo judicia exhibuit, dum Lazarum pauperem ante  
januam divitis jacere permisit, ut & dives impius  
damnationis sibi auget ultionem, & tentatus pau-  
per cresceret ad remunerationem. Conspiciebat ille  
ille quotidie cui non miseretur, videbat iste de  
quo probaretur. Duo inferius corda, sed unus de-  
super inspector, qui & hunc tentando exercebat ad  
gloriam, & illum tolerando expectabat ad pœnam.  
Nam sequitur: [*Factum est autem ut moreretur men-  
dicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahe.*  
*Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno.*]  
Qui nimirum dives eum cui in hac vita miseri-  
reri noluit, in suo jam supplicio positus patronum  
quærit. Nam ecce subiungitur: [*Qui elevans oculos,  
cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè, &  
Lazarum in sinu ejus. Et ipse clamans dixit: Pater  
Abraham miserere mei, & mitte Lazarum ut intin-  
gat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret lin-  
guam meam, quia crucior in hac flamma.*] O quanta  
est subtilitas judiciorum Dei! O quam districtè agi-  
tur bonorum actuum malorumque retributio! Cer-  
tè superius dictum fuit, quia in hac vita Lazarus  
cadentes micas de mensa divitis quærebat, & ne-  
mo illi dabat: nunc de supplicio divitis dicitur,  
quia de extremo digito Lazari distillari aquam in  
ore suo concupiscit. Hinc ergo, hinc fratres, colli-  
gite quanta sit districtio severitatis Dei. Dives enim  
ille qui vulnerato pauperi mensæ suæ vel minima  
dare noluit, in inferno positus, usque ad minima  
quærenda pervenit. Nam & guttam aquæ petivit,  
qui micas panis negavit. Sed notandum valde est  
quid sit quòd dives in igne positus, linguam suam  
refrigerari petit. Mos quippe est sacri eloquij, ut  
aliquando aliud dicat, sed ex eodem dicto aliud in-  
nuat. Superius autem hunc superbum divitem Do-  
minus non loquacitati vacantem dixerat, sed super-  
fluè convivantem. Neque hunc de loquacitate. Ne-  
que hunc de loquacitate notavit, sed eum elatione  
& tenacia de edacitate peccasse. Sed quia abundare  
in conviviis loquacitas solet, is qui malè hic con-  
vivatus dicitur, apud infernum gravius in lingua  
ardere perhibetur. Prima namque malè convivan-  
tibus famulatur culpa loquacitatis, post loquacita-  
tem verò ludendi etiam levitas sequitur. Nam quia  
edacitatem lusum sequatur, testatur sacra scriptura,  
quæ ait: *Sedit populus manducare & bibere, & sur-  
rexerunt ludere.* Sed priusquam ad lusum movea-  
tur corpus, ad jocos ac verba inania movetur lin-  
gua. Quid ergo est quod innuitur, quia in tormen-  
tis positus dives linguam suam refrigerari postulat,  
nisi quòd is qui convivando magis de loquacitate  
peccaverat, per retributionis justitiam in lingua a-  
trocius ardebat? Sed cum gravi valde est pavore  
pensandum hoc quod ei per Abraham responsum  
dicitur: [*Fili, recordare quia recepisti bona in vita  
tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic  
consolatur, tu verò cruciaris.*] Ista, fratres mei, sen-  
tentia pavore potius indiget, quam expositione.  
Nam si qui estis qui in hoc mundo exterioris boni  
quædam.

Matt. 3, 4

Matt. 7, e

Exod. 33,

Exod. 32,

De panis.  
Matt. 3, c. Ca.

aliquid accepistis, ipsum, ut ita dicam, donum exterius pertimescere debetis: ne vobis pro quorundam vestrorum actuum recompensatione sit datum: ne iudex qui hinc bona exteriora restituit, à retributione boni intimi repellat: ne honor hinc vel divitiarum, non adjumentum virtutis, sed remuneratio sint laboris. Ecce enim dum dicitur: [*Recepisti bona in vita tua;*] indicatur & dives iste boni aliquid habuisse, ex quo in hac vita, bona reciperet. Rursumque dum Lazaro dicitur, quia recepit mala, profectò monstratur & Lazarus habuisse malum aliquod quod purgaretur. Sed mala Lazari purgavit ignis inopia, & bona divitis remuneravit felicitas transeuntis vite. Illum paupertas afflixit & terret, istum abundantia remuneravit & repulit. Quicumque ergo bona in hoc sæculo habetis, cum vos bona egisse recolitis, valde de ipsis pertimescite, ne concessa vobis prosperitas eorundem remuneratio sit honorum. Et cum quoslibet pauperes nonnulla reprehensibilia perpetrare conspiciatis, nolite despiciere, nolite desperare: quia fortasse quos superfluitas tenuissima pravitas inquinat, caminus paupertatis purgat. De vobis omnimodo pertimescite: quia nonnulla etiam male acta, prospera vita secuta est. De illis vero sollicitè pensate, quia eorum vitam etiam magistra paupertas cruciat, quousque ad vite rectitudinem perducatur. Sequitur: [*Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est; ut hi qui volunt hinc ad vos transire, non possint, neque inde huc transire.*] Qua in re valde quærendum est, quomodo dicatur, *Hi qui volunt hinc ad vos transire, non possunt.* Quia enim hi qui in inferno sunt, ad beatorum sortem transire cupiant, dabitum non est. Qui verò jam in beatitudinis sorte suscepti sunt, quo pacto dicitur quia transire ad eos qui in inferno cruciantur, volunt? Sed sicut transire reprobi ad electos cupiunt, id est, à suppliciorum suorum afflictione migrare: ita ad afflictos atque in tormentis positos transire iustorum, est mente ire per misericordiam, eosque velle liberare. Sed qui volunt de beatorum sede ad afflictos atque in tormentis positos transire, non possunt: quia iustorum animarum quamvis in sue naturæ bonitate misericordiam habeant, jam tunc auctoris sui iustitiæ conjunctæ, tanta rectitudine constringuntur, ut nulla ad reprobos compassione moveantur. Ipsi quippe iudici concordant, cui inhærent, & eis quos eripere non possunt, nec ex misericordia condescendunt: quia tantum illos tunc à se videbunt extraneos, quantum ab eo quem diligunt auctore suo conspiciunt esse repulso. Nec iniusti ergo ad beatorum sortem transeunt, quia damnatione perpetua constringuntur: nec iusti transire ad reprobos possunt, quia erecti jam per iustitiam iudicij, eis nullo modo ex aliqua compassione miserentur. Sed postquam ardenti diviti de se spes tollitur, ejus animus ad propinquos quos reliquerat, recurrit: quia reproborum mentem pœna sua quandoque inutiliter erudit ad charitatem, ut jam tunc etiam suos spiritaliter diligant, qui hinc dum peccata diligerent, nec se amabant. Unde nunc subditur: [*Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim qui neque fratres, ut restetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.*] Qua in re notandum est, ardenti diviti quanta ad supplicium cumulantur. Ad pœnam namque suam ei & cognitio servatur & memoria. Cognoscit enim Lazarum quem despexit: fratrum quoque suorum meminit, quos reliquit. Perfecta quippe ei ultio de paupere non esset, si hunc in retributione non recognosceret. Et perfecta pœna in igne non esset, si non hoc quod ipse patitur, etiam in suis timeret. Ut ergo peccatores in supplicio amplius puniantur, & eorum vident gloriam quos contempserunt, & de illorum etiam pœna torquentur quos inutiliter amaverunt.

A Credendum verò est, quòd ante retributionem extremi iudicij, iniusti in requie quosdam iustos conspiciunt, ut eos videntes in gaudio, non solum de suo supplicio, sed etiam de illorum bono cruciantur. Iusti verò in tormentis semper intuentur iniustos, ut hinc eorum gaudium crescat, quia malum conspiciunt quod misericorditer evaserunt: tantoque majores ereptori suo gratias referunt, quanto vident in aliis quod ipsi perpeti, si essent relictè; potuerunt. Nec illam tantæ beatitudinis claritatem apud iustorum animum fuscata pœna reproborum: quia ubi jam compassio miseria non erit, minui proculdubio beatorum lætitiarum valebit. Quid autem mirum, si dum iusti iniustorum tormenta conspiciunt, hoc eis veniat in obsequium gaudiorum, quando & in pictura niger color subternitur, ut albus vel rubeus clarior videatur? Nam sicut dictum est, tantò bonis sua gaudia excrescunt, quanto eorum oculis damnatorum mala subterjacent, quæ evaserunt. Et quamvis eis sua gaudia ad persfruendum plenè sufficiant, mala tamen reproborum absque dubio semper aspiciunt: quia qui creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur quod videre non possint. Petenti autem diviti ut Lazarus mittatur, ab Abraham protinus respondetur: [*Habent Moysen & Prophetas; audiant illos.*] Sed qui Dei verba despexerat, hæc audire non posse suos sequaces existimabat. Unde & respondit dives: [*Non, pater mi: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.*] Cui mox veteraci sententia dicitur: [*Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.*] quia nimirum qui verba legis despiciunt, Redemptoris præcepta qui ex mortuis resurrexit, quanto subtiliora sunt, tantò hæc difficiliùs implebunt. Minus est enim quiddam per legem dicitur, quàm hoc quod per Dominum jubetur. Illa enim dari decimas præcipit; Redemptor verò noster ab his qui perfectionem sequuntur, omnia dimitti jubet. Illa peccata carnis refecat; Redemptor verò noster illi-citas cogitationes etiam damnat. *Si ergo Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent:* quia hi qui viliora legis præcepta implere negligunt, Salvatoris nostri mandatis altioribus obedire quando convalescunt? Et nimirum constat, quia cuius implere dicta renunt, ei proculdubio credere recusant. Hæc nos de ipsa rei gestæ consideratione dixisse sufficiat. Sed vos fratres, & requiem Lazari, & pœnam divitis cognoscentes, solerter agite, culparum vestrarum intercessores quærite, atque advocatos vobis in die iudicij pauperes procurate. Multos etenim nunc Lazaros habetis, ante januas vestras jacent, atque his indigent, quæ vobis jam satiatis quotidie de mensa cadunt. Verba sacræ lectionis debent nos instruere ad implenda mandata pietatis. Quotidie Lazarum, si quærimus, invenimus: quotidie Lazarum, etsi non quærimus, cernimus. Ecce importunè se pauperes offerunt, rogant nos, qui tunc pro nobis intercessores venient. Certè nos omnino rogare debuimus, sed tamen rogamur. Videte si negare debemus quod petimur, quando patroni sunt qui petunt. Nolite ergo misericordiarum tempora perdere, nolite accepta remedia dissimulare. Ante supplicium cogitate de supplicio. Cum quoslibet in hoc mundo abjectos aspiciatis, etiam si qua reprehensibilia eorum esse videantur, nolite despiciere: quia fortasse quos mortum infirmitas vulnerat, medicina paupertatis curat. Quorum si qua sunt talia quæ debeant jure reprehendi; hæc si vultis, ad usum vestræ mercedis inflectite, ut ex ipsis eorum vitiis cumulentur vobis incrementa pietatis: quatenus panem pariter detis & verbum; panem refectiois cum verbo correptionis: & duo à vobis alimenta percipiant, qui unum quærebant, dum & exterius cibo, & interius satian-

Deut. 12.

Luc. 14. f

Matt. 5. d

tv̄r eloquio. Pauper ergo cū reprehensibilis cernitur, moneri debet, & despici non debet. Si verò reprehensionis nihil habet, venerari summopere sicut intercessor debet. Sed ecce multos cernimus: quis cuius sit meriti, nescimus. Omnes ergo venerandi sunt, tantoque necesse est ut omnibus te humiliare debeas, quāto quis eorum sit Christus ignoras.

Lib. 4. Dist.  
log. c. 15.

Rem, fratres, refero, quam bene is qui præsente est, frater & compresbyter meus Speciosus novit. Eodem tempore, quo monasterium petij, anus quædam Redempta nomine, in sanctimoniali habitu constituta, in urbe hac juxta beatæ Mariæ virginis Ecclesiam manebat. Hæc illius Herundinis discipula fuerat, quæ magnis virtutibus pollens, super Prænestinos montes vitam eremiticam duxisse ferebatur. Huic duæ in eodem habitu discipulæ adhærebant: una nomine Romula, & altera, quæ nunc adhuc superest, quam quidem facie scio, sed nomine nescio. Tres itaque hæc in uno habitaculo commanentes, morum quidem divitiis plenam, sed tamen rebus pauperem vitam ducebant. Hæc autem, quam præfatus sum, Romula, aliam quam prædixi condiscipulam suam magnis vitæ meritis antebat. Erat quippe miræ patientiæ, summæ obedientiæ, custos oris sui ad silentium, studiosa valde ad continuæ orationis usum. Sed quia plerumque hi, quos jam perfectos homines æstimant, adhuc in oculis summi opificis aliquid imperfectionis habent: sicut sæpe imperiti homines necdum perfectè sculpta sigilla conspiciamus, & jam quasi perfectæ laudamus, quæ adhuc artifex considerat & limat, laudari jam audit, & tamen ea tundere meliorando non desinit: hæc quam prædiximus Romula, ea quam Græco vocabulo medici paralyfin vocant, molestia corporali percussa est, multisque annis in lectulo decubans, pæne omnium jacebat membrorum officio destituta: nec tamen hæc eadem ejus mentem ad impatientiam flagella perduxerant. Nam ipsa ei detrimenta membrorum facta fuerant incrementa virtutum: quia tantò sollicitius ad usum orationis succreverat, quāto & aliud quodlibet agere nequaquam valebat. Nocte ergo quadam eandem Redemptam quam præfatus sum, quæ utraque discipulas suas silvarum loco nutrebat, vocavit dicens: Mater veni, mater veni. Quæ mox cum alia ejus discipula surrexit, sicut utriusque referentibus, & multis res eadem claruit, & ego quoque eodem tempore agnovi. Cumque noctis medio lectulo jacentis assisterent, subito cælitus lux emissa, omne illius cellulæ spatium implevit: & splendor tantæ claritatis emicuit, ut corda assistentium inastimabili pavore perstringeret, atque, ut post ipsa referentibus, omne in eis corpus obrigesceret, & in subito stupore remaneret. Cæpit namque quasi cujusdam magnæ multitudinis ingredientis sonitus audiri, ostium cellulæ concuti, ac si ingredientium turba premeretur. Atque, ut dicebant, intrantium multitudinem sentiebant, sed nimirate timoris & luminis, videre nil poterant: quia earum oculos & pavor deprefferat, & ipsa tanti luminis claritas reverberabat. Quam lucem protinus miri odoris est fragrantia subsecuta: ita ut

earum animum, quia lux emissa terruerat, odoris suavitas refoveret. Sed cū vim claritatis illius ferre non possent, cæpit eadem Romula assistentem sibi & trementem Redemptam, suorum morum magistram, blanda voce consolari, dicens: Noli timere mater, non morior modò. Cumque hoc illa crebrè diceret, paulatim lux quæ fuerat immissa, subtracta est: sed is qui subsecutus est odor remansit. Sicque dies secundus & tertius transiit, ut aspersi fragrantia odoris remaneret. Nocte ergo quarta eandem magistram suam iterum vocavit. Quæ veniente viaticum petiit, & accepit. Necdum verò eadem Redempta & alia ejus discipula à lectulo jacentis abscesserant, & ecce subito in platea ante ejusdem cellulæ ostium duo chori psallentium constiterunt, & sicut ipsæ se dicebant sexus ex vocibus discrevissent, psalmodiæ cantus dicebant viri, & femine respondebant. Cumque ante fores cellulæ exhiberentur cælestes exequiæ, sancta illa anima carne soluta est. Quæ ad cælum ducta, quāto chori psallentium altius ascendebant, tantò cæpit psalmodia lenius audiri, quouque & ejusdem psalmodiæ sonitus, & odoris suavitas elongata finiretur. Hæc ergo quamdiu vixit in corpore, quis illam haberet in honore? Indigna cunctis, despecta omnibus videbatur. Quis ad illam accederet, quis illam videre dignaretur? Sed latebat in sterquilinio margarita Dei. Sterquilinum, fratres, hanc ipsam corruptibilitatem corporis appello, sterquilinum abjectionem paupertatis nomino. Assumpta est ergo margarita quæ jacebat in sterquilinio, & posita in cælestis Regis ornamento, jam inter supernos cives emicat, jam inter ignitos illos lapides æterni diadematis coruscat. O vos qui in hoc mundo divites aut esse creditis, aut estis, conferre, si potestis, falsas divitias vestras veris divitiis Romulæ. Vos in hujus mundi via omnia amissuri possidetis: illa nihil quæsit in itinere, & omnia invenit in perventione. Vos lætam vitam ducitis, tristem mortem timetis: illa tristem vitam pertulit, ad lætam mortem pervenit. Vos ad tempus queritis obsequium hominum: illa despecta ab hominibus, invenit socios choros Angelorum. Discite ergo, fratres, temporalia cuncta despiciere: discite honorem transeuntem contemnere, æternam gloriam amare. Honorate quos pauperes videtis, & quos foris conspicietis despectos sæculi, intus arbitramini amicos Dei. Cum his participamini quod habetis, ut hoc quandoque dignentur vobiscum participari quod habent. Pensate quòd ore magistris gentium dicitur: *In hoc tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestra inopia sit supplementum.* Pensate quod ipsa per se Veritas dicit: *Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Ad tribuendum pigri cur estis, quando hoc quod jacenti in terra porrigitis, sedenti in cælo datis? Sed hæc omnipotens Deus quæ per me in vestris auribus loquitur, per se in vestris mentibus loquatur: qui vivit & regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Sancti Gregorij Papæ Homiliarum XL. Finis.